



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. De quidditate propria motus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

tria plures difficultates annexas habent accuratè hoc loco d'scutiendas. De causa verò motus, siue de motore, dicitur commodiùs in libris de celo, ubi etiam explicanda erit inceptio, & definitio motus.

SECTIO I.

De quidditate propria motus.

Aristoteles 3. *Physic.*

Idest quænam sit definitio motus, & quænam eius distinctio ab actione & passione; nam quod vltimè queri poterat, utrum motus distinguatur à termino ad quem, satis liquet ex dictis de actione, & de vocatione. Vtrum autem motus localis distinguatur à mobili, quæstione secunda dicendum erit.

S. I.

Aristotelica definitio motus.

Aristotelis
definitio.

Dico primò, rectè definiri motum ab Aristotele textu 6. *Est actus entis in potentia, prout in potentia.* Cuius definitionis sensus est, motum esse formam imperfectam, quæ sic actuat & informat subiectum suum, ut illud constituat formaliter in via & transitu ad vltiorem formam, quam non potest non recipere ex suppositione, quod habeat in se motum. Ad cuius intelligentiam

Esse poten-
tiam & esse
in potentia.

Observa primò sic discurre Philosophum *lib. 3. textu 3.* Aliud est esse actum, aliud esse in actu, aliud esse in potentia, aliud esse potentiam. Esse actum est esse aliquam formam; esse verò in actu, est participare aliquam formam. In actu est compositum quodlibet, tum substantiale, tum accidentale; actus verò forma illius est: homo v.g. est in actu, anima verò illius est actus. Esse potentiam, est esse principium agendi, vel patendi aliquid; id verò quod est in potentia, est habens tale principium, ut lignum dicitur esse in potentia ignis: principium autem quo fieri potest ignis, dicitur potentia. Hoc posito sic discurret Philosophus. Eorum quæ sunt, quædam sunt in actu, quædam in potentia, idest omnium, quæ sunt secundum aliquam formam, vel est quod habeant eam actum, vel quod eam habeant in potentia, ut quod calidum dicitur, aut est actu calidum, aut est calidum potentia.

Actus perfe-
ctus & im-
perfectus.

Observa secundò, duplicem esse actum potentia, alter est perfectus, qui totam aufert rei potentialitatem, ille est ipsa forma ad quam res est in potentia; alter est imperfectus non auferens omnino potentiam, iste actus est operatio secundum formam, ut calefactio & frigefactio, quæ non totam auferunt rei potentiam, sed adhuc potentia restat ad ipsam formam.

Motus est
actus im-
perfectus.

Observa tertio, ista in motu reperiri, agens, patiens, formam acquisitam, & viam, seu medium quo acquiritur. Motus nec est agens, nec patiens, nec forma acquisita, sed via in formam, idest medium illud & operatio, qua forma acquiritur, quatenus est actus potentia, siue actiue, siue passiue.

Explicatur
definitio.

Ex his ita prænotatis. Aristotelica definitio explicari facile potest. Primò enim dicitur *actus*, quia informat, & actuat ipsum mobile. Dicitur secundò *entis in potentia*, idest ipsius subiecti, quod est in potentia ad aliquam aliam formam. Dicitur tertio, *prout in potentia*, quia est actus imperfectus, qui actuat suum subiectum, prout illud subiectum est in potentia ad aliquam formam, quam nondum

haber. V.g. calefactio est motus, quia conuenit manui, quatenus manus est in potentia ad calorem. Sic enim distinguitur motus à qualibet alia forma substantiali, vel accidentali, quæ sic actuant subiectum, ut illud non constituent formaliter in via ad formam ullam vltiorem.

Obiicitur primò, videri omnino, quod hæc definitio conuenit qualitati remissa; nam calor v.g. duo est actus entis in potentia, scilicet ligni, quod est in potentia prout in potentia; quia sic illud actuat, ut relinquat illud in potentia ad calorem vltiorem. Deinde conuenit etiam passioni; nam illa est actus entis in potentia, secundum quod est in potentia, cum actuet subiectum relinquendo illud in potentia ad terminum recipiendum.

B Resp. qualitates remissas esse quidem actus existentis in potentia, sed non prout in potentia, quia non constituunt formaliter subiectum in via & transitu ad vltiorem formam, quæ illis positæ acquiratur necessariò. Deinde nego passionem ut passio est, esse actum entis in potentia, quia motus est via ad terminum recipiendum.

Obiicitur secundò. Implicat ut aliquid sit actu simul & potentia respectu eiusdem; si autem motus est actus entis in potentia, mobile respectu eiusdem motus erit simul actu, & potentia, quia implicat ut habeatur actu motus, quin actu habeatur terminus motus; modus enim non est sine modificato; ergo implicat ut mobile sit actu respectu motus, quin sit actu respectu termini: ergo erit simul actu respectu motus, & in potentia respectu eiusdem motus, cum sit in potentia respectu termini, sine quo non habetur motus; quomodo enim v.g. visio erit actus oculi prout non videntis.

Resp. verum quidem esse, quod passum eodem instanti temporis, quo habet actu motum, habet etiam actu formam; non autem in eodem instanti natura. Mobile igitur in primo instanti nature habet motum, in posteriori habet formam; ideoque falsum est, quod sit actu & potentia respectu eiusdem motus; sicut falsum est quod visio sit actus oculi prout non videntis; visio enim dicit actionem & terminum: prius ergo natura oculi habet actionem, in posteriori terminum huius actionis.

Obiicitur tertio. Si bona esset hæc definitio, illa conuenire deberet omni motui, etiam instantaneo: non videtur autem conuenire motibus instantaneis, quia in mutationibus instantaneis non potest esse subiectum in potentia ad terminum, quem iam habet.

Resp. definitionem hanc motus omni conuenire motui, etiam instantaneo, quia duo distingui debent instantia nature in eodem instanti temporis, quo fit motus; in priori concipitur in potentia esse ad terminum, quem actu habet in posteriori.

S. II.

Distinctio motus, actionis & passionis.

Dico secundò. Actio, passio, & motus quoties simul sunt, non distinguuntur realiter inter se, sed distinguuntur tamen formaliter.

Prima pars expressa est sententia Philosophi *3. Physicorum, c. 3.* Ratio autem eius est, quia idem actus realis, qui via est ad terminum, est in subiecto, quia est accidens; & est ab agente, quia est aliquid productum. Prout via est ad terminum, est motus; prout est in subiecto, est passio; & prout est ab agente, actio est: ergo eadem res est motus, actio, & passio. Deinde motus non potest fieri per actionem

neri à se distinctam, neque recipi per passionem à se distinctam: ergo si motus sit, debet esse actio; & si recipitur in subiecto, debet esse passio. Probatur antecedens. Si motus fieret per actionem à se distinctam, & reciperetur per passionem à se distinctam, daretur progressus in infinitum; nam hæc actio, qua fit motus, tendit ad terminum, & est in subiecto: ergo habet motum & passionem. Et iterum hic motus, & hæc passio sunt per actionem à se distinctam, & sic in infinitum.

Differunt formaliter.

Secunda pars, quod illa tria distinguantur conceptibus, difficilior est, & illam negant quidam Recentiores Philosophi, sed immerito. Primum enim Philosophi verba expressa sunt tertio Physic. textu 22. *Omnino verò (inquit) dicere est, quod nec doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem proprie est; sed cui hæc insunt, motus; nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.* Vnde ratio sic confici potest. Illa distinguuntur conceptu, quorum vnum potest sine altero definiti; motus, actio, & passio huiusmodi sunt; motus enim recte definitur, *Actus mobilis v; est mobilis*; actio, *Actus egressus ab agente*; passio, *Actus receptus in subiecto*: ergo illa tria distinguuntur conceptu. Deinde in vna, & eadem re concipi possunt tres respectus, ad agens, ad patiens, ad terminum: per respectum ad agens, dicitur actio; per respectum ad passum, dicitur passio; per respectum ad terminum, dicitur motus: illi tres respectus non se includunt formaliter: ergo motus etiam actio, & passio non se includunt formaliter.

Prima obiectio.

Obicitur primum, contra primam partem assertionis. Illa distinguuntur realiter, quæ sunt in diuersis subiectis: passio est in passio, actio verò est in agente; si enim actio esset in passio, passum denominaretur agens: ergo actio & passio distinguuntur. Imò desinente actione agentis, v. g. calefactione, manet tamen passio. Denique si motus, actio, & passio sunt vnum, nulla erit ratio propter quam motus non constituat vnum prædicamentum æquæ ac actio & passio.

Resp. actionem esse reuera in passio, vt constabit postea; neque tamen propterea passum denominatur agens, sicut quamvis visio sit in oculo, non denominatur tamen oculus visus, sed obiectum. Deinde quoties definit actio agentis, definit etiam passio; nam eadem conseruatio est actio & passio. Si verò remoto igne calefaciente desinat calefactio, seu actio talis ignis, & succedat actio conseruatiua procedens à solo Deo, definit quoque passio, quæ prius erat, & accedit noua identificata nouæ actioni.

Ratio cur motus non constituat speciale prædicamentum, data est in Logica, quia motus vt motus dicit essentialiter aliquid incompletum, cum sit actus ordinans subiectum ad actum vltiorem; actio autem & passio formaliter præcise sunt à ratione incompleta; nam etsi via sint ad terminum, tamen actio est fieri eius tanquam egressus ab agente; passio tanquam illius receptio in passio, vbi nihil includitur incompletum.

Secunda obiectio.

Obicitur secundò contra secundam partem conclusionis. Sicut idem est, etiam per rationem, me videre obiectum, & obiectum videri à me; ita idem est formam educi ex subiecto, & educere illam ex subiecto: sed educere formam ex subiecto actio est, & illam educi ex subiecto, est passio: ergo actio & passio non differunt, etiam formaliter.

Resp. falsum esse, quod actio & passio in eo solum differant, quod actio explicetur per verbum

R. P. de Rhodis curs. Philosoph.

actiuum, passio verò per verbum passiuum; sic enim illæ non differunt nisi grammaticaliter, sicut differunt me videre obiectum, & obiectum à me videri: sed differunt in eo, quod actio formaliter respiciat solum agens, licet explicari possit per verbum actiuum, & passiuum; est enim agi & agere; passio autem respiciat formaliter subiectum, quod explicatur per verbum actiuum & passiuum; est enim recipi & recipere. Ideo ad argumentum distinguitur maior; idem est educi formam ex subiecto, & educere formam, si educi, & educere, dicant respectum ad agens, concedo; si autem educere, dicat respectum ad solum agens, educi autem dicat respectum ad solum passum, nego. Ad minorem; sed educi est passio, & educere est actio, si educi dicat respectum ad agens, nego; si educi dicat respectum ad subiectum, concedo.

Obicitur tertio. Mouere formaliter est agere, & moueri est formaliter pati: ergo motus est formaliter actio & passio. Probo antecedens. Alterare subiectum est formaliter illud mouere, & alterari formaliter est moueri: sed alterare est agere, & alterari est pati: ergo mouere formaliter est agere, & moueri formaliter est pati.

Tertia obiectio.

Resp. distinguendo primum antecedens; mouere est formaliter agere, & moueri est formaliter pati, si moueri, & mouere formaliter & præcisè significant motum, negatur; si sumantur adæquatè, concedo. Vnde falsa est consequentia; motus enim & mouere valde differunt, quia motus præcisè significat solum transitum ab vno extremo ad aliud, mouere autem dicit transitum illum prout est ab agente, & moueri dicit transitum prout recipitur in passio. Mutatio includit quidem subiectum, sed materialiter tantum, prout transiens à priuatione ad formam; sed non includit illud formaliter vt subiectum.

Obicitur quartò. Motus formaliter est ab aliquo, cum sit ens dependens; & est in aliquo, quia est accidens: ergo motus formaliter est actio & passio. Deinde subiectum intelligitur se aliter habere per actionem & passionem, cum illæ sint aliquid nouum; ergo actio & passio sunt motus, seu mutationes formaliter.

Quarta obiectio.

Resp. motum quidem materialiter, & adæquatè sumptum esse in aliquo, & ab aliquo, sed non sumptum formaliter: vnde sequitur motum includere quidem actionem & passionem, sed materialiter tantum; nam quamuis ratio dependentiæ sit impræcisibilis à re creata adæquatè sumpta, præcisè tamen potest ab ea sumpta solum inadæquatè. Itaque verum est quod per actionem & passionem sumptas materialiter subiectum aliter se habet, quia scilicet illæ habent adiunctum motum; sed non per actionem & passionem formaliter sumptas.

SECTIO II.

De vnitatem motus & actionis.

Aristoteles 5. Physic.

AD essentialiam motus proximè pertinet eius vnitas; nam specificatio, seu essentia specifica motus ab eo petitur, à quo petitur eius vnitas; vnde sequitur vt explicetur quomodo motus vnus sit genere, vnus sit specie, vnus sit numero.

X

S. I.